

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 948

**Auteur(s) :** Lucius II [pape]

**Bénéficiaire(s) :** Philippe d'Harcourt, Bayeux (évêque)

**Genre d'acte :** bulle

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1144, 16 mai

**Lieu d'émission :** Latran

**Action juridique :** réforme

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Le pape Lucius II ordonne aux religieux, au clergé et aux fidèles de l'église de Bayeux de bien recevoir l'évêque Philippe de Harcourt à son retour de Rome, et de l'aider à remettre son église dans la possession parfaite et tranquille de tous les biens, privilèges et droits dont elle jouissait sous l'épiscopat d'Odon 1er de Conteville.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° CLVII, t. 1, p. 197-199.

## Dissertation critique

Pontificat de Lucius II, 12 mars 1144 - 25 février 1145.

Texte établi d'après a

Lucius, episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbatibus, et prioribus, clero, et populo Baiocensis ecclesiae, salutem, et apostolicam benedictionem. Venerabilis frater noster Philippus, episcopus vester, juxta morem noviter intronizatorum, Apostolorum limina et nostram praesentiam visitavit. Quem nos debita benignitate suscepimus, et ut bona Baiocensis ecclesiae, quae jam diu peccatis exigentibus illicite distracta et alienata sunt, recuperet, et pravas consuetudines, quae in Baiocensi episcopatu, pastorum incuria et negligentia, pullularunt, extirpet, viva voce sibi injunximus. Ipsum itaque, cum gratia Sedis Apostolicae et litterarum nostrarum prosecutione, ad sedem propriam remittentes, universitatem vestram rogamus, monemus, et per apostolica scripta vobis injungimus, quatinus ipsum benigne recipiatis, affectione praecipua diligatis et honoretis, eique, tanquam proprio pastori et animarum vestrarum episcopo, obedientiam ac reverentiam humiliter exhibeatis. Res vero ecclesiasticas et jura episcopalia, quae in ecclesiis et personis ecclesiasticis occupastis et contra Deum et animarum vestrarum salutem illicite detinetis, sibi quiete et pacifice dimittatis, et tam in hiis quam in aliis, ipsum, tanquam Christi ministrum, audire, excessus quoque vestros et enormitates, juxta commonitionem ipsius, corrigere studeatis. Verum, quoniam quidam vestrum jus suum eidem episcopo auferre contendunt, auctoritate apostolica prohibemus ut nullus monachus, clericus, sive laicus placita episcopalia, nisi in ipsius vel vicarii sui praesentia, tractare vel diffinire, nec in parochialibus ecclesiis, absque ipsius assensu, sacerdotes ponere vel amovere praesumat. Qui, statutis temporibus, ad synodum suam universaliter conveniant, praecipua sinodalia, quae populo sibi commisso annuntiant, attente percipiant, atque episcopales redditus, antiquitus canonice constitutos, eidem episcopo cum integritate

persolvant. Præterea, scire vos volumus quia, sicut ex scripto prædecessoris nostri, felicis memoriæ, papæ Urbani intelleximus quomodo Baiocensis ecclesia bonorum suorum plurimam tunc temporis partem perdidit, cum Oddo, ipsius civitatis episcopus, a germano suo Guillelmo, Anglorum rege, captus est, quæ tamen bona idem episcopus, sua postmodum industria, recuperavit, scripti sui auctoritate firmavit ut Baiocensis ecclesiæ bona ita semper inconcussa debeant stabilitate servari, sicut illius captionis tempore fuisse noscuntur. Quia igitur nostri officii est ecclesiarum quieti paterna sollicitudine providere, ejusdem prædecessoris nostri vestigiis inhærentes, eandem constitutionem Apostolicæ Sedis auctoritate firmamus, atque donationes, venditiones, seu quaslibet alienationes de bonis vel possessionibus Baiocensis ecclesiæ per episcopos, qui post ipsum Oddonem in eadem ecclesia præfuisse noscuntur, factas, quoniam sicut accepimus dilapidatores bonorum Baiocensis ecclesiæ extiterunt, et tam thesaurum quam possessiones fere ad nichilum redegerunt, evacuamus, et irritas esse censemus. Unde per apostolica vobis scripta mandamus, ut vos, qui ejusdem ecclesiæ possessiones et bona, qualibet concessione eorumdem episcoporum, detinetis, eidem episcopo cum integritate reddatis, sicut per legitimos testes juramento probari fecerit Baiocensem ecclesiam tenuisse, tempore Oddonis episcopi, in dominicatura vel in feudo. Alioquin excommunicationis vel interdicti sententiam, quam juxta jam dicti prædecessoris nostri Urbani institutionem in vos canonice promulgaverit, nos, auctore Domino, ratam habebimus. Data Laterani, septimo decimo kalendas junii.